



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

535. Qualiter cit. cap. licet. ectendatur per cap. de præsentî.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

raliter rectè limitetur, & restringi debeat per legem specialem etiam priorem, nisi illi expressis verbis contradicat lex posterior talis generalis juxta *l. non est novum. & l. sed & posteriores. ff. de LL. Sanch. de matrim. l. 2. d. 24.* (ubi etiam addit, id verum esse, etiam si in lege nova seu posteriore addita sit clausula: *non obstante*: eò quòd intelligi ea debeat de lege priore contraria, quæ non possit cum posteriore subsistere per aliquam limitationem vel distinctionem) & alios apud Garc. n. 111. ita tradunt Garc. *ibid.* Castrop. Pirh. *ll. cit.*

7. Porro licet constitutio *c. si Apostolica.* extendi non debeat ad Ecclesias parochiales habitu tantum tales, cum cesset in iis, utpote nullam habentibus actu plebem seu curam animarum, ratio unica dictæ constitutionis. Pirh. n. 337. adhuc rectè eam extendi non tantum ad parochiales collegiatas, imò & ad alia beneficia curata, etsi parochialia non sint, ob identitatem rationis, nempe ob periculum animarum, si diu vacent, probabilius censet Pirh. *ibidem* cum Gl. in *c. si Apostolica.* contra Archid. & Francum. quinimò ob eandem rationem extendi id posse ad parochiales vacantes, etiam extra Curiam in mensè Papali, & quocunque alio modo reservatas, & quidem à fortiori (eò quòd, si in favorem Ecclesiarum parochialium & animarum per *c. si Apostolica.* tollitur ista reservatio ob vacationem per obitum in Curia, quæ est omnium perfectissima, quia perpetua, & clausa in corpore juris, multò magis quævis alia reservatio dictarum Ecclesiarum tolli debeat) tradit Castrop. *cit. p. 16. n. 6.* cum Zerola in *pr. Ep. p. 1. v. beneficium. §. 3. & p. 2. v. reservatio. §. 5.* contra Franc. & alios; negat tamen Idem Castrop. cum Garc. n. 105. Pirh. *loc. cit.* Gonz. & aliis contra Zerol. idem extendendum ad beneficia parochialia devoluta ad Papam ob negligentiam collatorum inferiorum; eò quòd ista devolutio in poenam negligentia sit inducta per Concilium Lateran. relatum in *c. 2. de concess. preb.* quod per dictam constitutionem *c. si Apostolica.* utpote nullam culpam collatorum respicientem, non est correctum. Pirh. *loc. cit.*

8. Septimo beneficia exempta & immediatè subiecta Papæ, etiam si vacent in Curia, hæc enim reservabilia non sunt.

9. Octavo excipiuntur à reservatione *c. c. licet.* beneficia Urbis; non enim sunt reservabilia, dum à nemine provideri possunt, eorumque provisio privatè competat Papæ jure ordinario, utpote cujus Urbis illa particularis diæcesis est, & in qua ipse solus Episcopus est, non habens alium coepiscopum, sicut in aliis diæcesibus, in quibus etsi Papa sit quoque Episcopus, habet tamen alios coepiscopos, nimirum istarum diæcesium Ordinarios; quin & hinc sit ei carior illorum provisio, quam beneficiorum aliorum vacantium in eadem Urbe & Curia; ita etiam, ut Gamb. *de off. leg. l. 3. ad finem à n. 712.* si discedens ab Urbe relinquat ibi Legatum, nequaquam censeatur ei concessisse facultatem ea conferendi. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 13. à n. 14.* Barb. *p. 3. de pot. Epif. alleg. 57. n. 32.* Lotr. *l. 2. 4. 27. n. 25. & 26.* qui tamen *n. 27.* ait, inesse adhuc habilitatem reservabilitatis in beneficiis 4. Ecclesiarum parochialium Urbis, in quibus intulati sunt Cardinales, & hinc prodiisse specialem regulam eorum reservatoriam, quæ est septima; Cardinales enim in suis titulis jurisdictionem quasi Episcopalem habent, & hinc jure ordinario eorum beneficia provident. Pirh. *loc. cit.* cum com-

muniter de hac reservatione beneficiorum Urbis vide Monet. *de oprione. c. 3. g. 3.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 13. in principio.* ad quos remittit Chok. *ad reg. 1. cancell. num. 23.*

10. Nonò excipiuntur beneficia illorum, qui originem seu domicilium, imò domum conductam habent apud Sedem, seu in Curia, nisi sint Curiales seu Cortesani, vel etiam prius fuissent Cortesani, & ibidem ratione Curia morarentur. Castrop. *cit. n. 6.* citans Simonet. *de reserv. q. 30. n. 3.* Garc. *cit. c. 1. n. 83.* Barb. *ubi ante. n. 31.* & c. sic enim expressè statuitur in *c. presenti. de preb. in 6.* Cujus rationem hanc dat Gl. in *c. v. morarentur.* ne alias non leve crearetur Curia Romanæ præjudicium, cessante nimirum concursu ad illam, dum constaret omnium ibi degentium beneficia, etiam alibi existentia, spectare ad provisionem solius Papæ.

Quaestio 535. Qualiter dictum c. licet. 2. de preb. in 6. editum à Clem. III. vel ut alii numerant, IV. extenditur per cap. presenti. de preb. in 6. quod est Greg. X.

1. **R**espondeo: quemadmodum *c. licet* per *c. presenti.* limitatur in hoc, quòd vi illius excipiantur, ut dictum, qui originem vel domicilium habent in loco ubi est Curia, ita extenditur, seu extendi se velle dicit statutum in *c. licet.* primò ad beneficia, etiam eorum, qui in locis Curia vicinia inter duas dietas decedunt Legati, aut Nuntii Apostolici, vel quivis alii (sive Curiales sint, sive non, ut Gl. *hic. v. alii*) ad Romanam Curiam accedentes, vel ab ea recedentes, perinde ac si in loco, ubi Curia residet, morarentur; declaratq; expressè *c. presenti.* se per loca vicina intelligere distantia ad dietas legales.

2. Secundo extenditur ad Curiales, qui etiam Ecclesià Romanà vacante peregrinationis, recreationis, aut alia quavis ex causa ad locum Curia vicinum secedentes, ibi decedunt, modò illi (etsi ad Curiam erant reverfuri, adeoque animo citò redeundi recefferint) domicilium ibi seu domum propriam non habeant.

3. Tertio Curiales, qui dum Curiam de uno loco ad alterum transferri contigerit, eam sequentes, infirmitate fortè impediti, in itinere, dum Curiam sequuntur, vel in loco, unde Curia recedit, cum eam infirmi sequi non possunt, remanentes, ibi moriuntur; ita ut eorum beneficia quantumcunque locus ille, ubi decedunt, à Curia sit remotus, apud Sedem seu Curiam vacare censeantur, ita ferè textus *c. presenti.*

*Quaestio 536. An, & quare persona aliqua, etsi decedat in locis ultra duas dietas, quin & longissime distans à Sede seu Curia, dicantur tamen decedere in Curia, seu apud Sedem; adeoque eorum beneficia vacantia sint reservata dictà reservatione clausa in corpore juris, nimirum vi *c. c. licet*?*

Respondeo: dum plures personæ ita addictæ sunt Curia Romanæ tanquam partes illius, ut præterea non liceat eis ab ea sine speciali venia Papæ recedere, quales sunt Cardinales, qui etiam vetus dicuntur constituere, quàm sequi Curiam; tamen si dicantur eam sequi constituendo. Lotr. *cit. q. 27. n. 85. & 84.* citans Host. in *c. Ecclesia. de elect. n. 5.* Oldr. *conf. 293. n. 2.* inter quos Cardinales sunt Vice-